ne ſalutis amator. queſumus clementiã
tuam. vt noſtre congregationis fratres ſoro
res propinquos et omnes benefactores noſ
tros qui ex hoc ſeculo tranſierunt. btã ma
ria ſemꝑ virgine intercedente cum omnib'
ſanctis tuis. ad perpetue beatitudinis con
ſortium ꝑuenire concedas. Fidelium de
us omnium conditor et redemptor. anima
bus famulorum famularum qꝫ tuarum. re
miſſionem cunctorum tribue peccatorum.
vt indulgentiam quam ſemper optauerũt
piis ſupplicationibus conſequantur. Qui
viuis. &c.

**Oratio deuota ad ſanctũ criſtoforũ.**

1 O xpofore ſcẽ cõſtans penas nullas timuiſti.
Et in fide firm' ꝯſtans tu tormẽta deriſiſti.
Sup cuncta xpm amãs ⁊ trãs flumẽ ipm geſtãs
Speciali gratia.
Cunctos hoſtes ſupare fac me tua ſcã prece.
Et me mũdũ cõſeruare velis a peccati fece.
In periculis aſtare ⁊ me totũ gubernare.
Solita clementia.

Morte mortem superasti· sed eterna transitura.
Temporalia calcasti· recepisti permansura
De tirannis triumphasti· me ad illum quem portasti.
Duc in celi gaudia. Amen. Oratio pulchra
ad sanctam katherinam virginem et martirem.
1 Gaude virgo gloriosa xpi sponsa katherina.
Tua prece graciosa me preserves a ruina.
Mortis hora dolorosa assis o victoriosa.
Hostes cunctos abigens.
Tunc cum lingue vis abibit et nec verba consonabit
Nec te dulcis virgo quibit protectricem invocare.
Peto solita dignare pietate me iuuare.
In periclis diligens.
Cor contritum fac habere tuo sponso condonante.
Fidem rectam fac tenere eius dono mediante.
Ibi me fac te videre atque tecum congaudere
Ubi nullus indigens.
Ubi namque sublimata virgo martir doctrix gnara.
Trino serto decorata es a sponso sponsa cara.
Meis votis inclinata in me respice beata.
Ad te sursum erigens. Amen.

- Non semp oleu -